Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2093
Quelle:
Copyright:

que adgeniculantibus Episcopo et Canonico. Manus Pictoris in universum parum abludit ab illa, quae magna illa *Wenceslai Biblia Vol.* I. P. 1. *col.* 93. relata ornavit, ita, ut nequidem *Ispidam* illam desideres, quae hic *fol.* 127. p. 2. insidet.

DCCCLVI.

R. 3312 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 325. f. per duas columnas charactere crasso, atro perscriptus, coloribus distinctus, et non uno loco literis initiorum et lemniscis marginum deauratis et picturatis ornatus est *Missale Romanum.* Sub finem inter Orationes diversas habetur *Oratio pro desiderantibus penitentiam* praefixa hac rubrica: *Si quis penitentiam petens priusquam sacerdos uenerit officio lingwe fuerit priuatus, statutum est ut si ydonea testimonia hoc dixerint et per motus aliquos satisfaciat, sacerdos impleat omnia circa penitentem ut mos est.* *Fol.* 298. p. 2. haec legitur Clausula: *Anno ab incarnatione domini millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo reuerendus in christo pater ac dominus dominus Benedictus abbas huius monasterij Lunelacensis hunc librum compleri fecit ac finiri per fratrem Jacobum keser de wratislauia professum eiusdem monasterij. Finitus autem fuit in die sancti Othmari confessoris atque abbatis.* *Benedictus* hic abbas teste *Chronico* p. 276. usque ad an. 1499. sedit et profuit. Dubium non est, primos Librorum Impressores ab ejusmodi Codicum Clausulis suas quoque mutuatos fuisse. Accedunt in praesenti *Sequentie per circulum anni*, et *Commune Sanctorum.*

DCCCLVII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3310 XV. Folior. nunc 244. f. eodem modo perscriptus, miniatus, et literis initiorum picturatis ornatus pariter *Missale* est, primis tamen et ultimis membranis mulctatum. *Fol.* 124. sub finem Missarum de Tempore notatur annus 1498. Ante Canonem visitur elegans Icon *Christi* cruci adfixi, et dextro latere confossi adsistente *Maria* et *Johanne.* In fine accedunt *Prosae*, sed magnam partem evulsae sunt. Thecae anteriori intus adglutinatum est Folium Sec. ut videtur, etiamdum XV. gothicis typis excusum hoc titulo: *Sanctus Leuinus martyr et Pontifex contra Paralysim et podagram a fidelibus colitur sequenti die post Martini.* Tum de eo *Oratio*, *Secretum* et *Complenda.*

DCCCLVIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3311 XV. Folior. 248. f. maj. eodem modo perscriptus et ornatus rursum *Missale* est, praevio *Calendario*, in quo ad 4. *Maji* miniatus *Florianus*, et ad 25. *Jul.* notatur Anniversarium, quod an. 1488. sibi in Ecclesia *Lunaelacensi* sat liberaliter instituit *Martinus Schrügkenmayer* sacerdos secula-